

genuis artibus egregie excultus, et deinde ad Academiam Ienenfem, et post triennium Hallenfem transgressus, illa sibi doctrinae parauit subsidia, quae in reliquum vitae tempus perpetua dederunt ornamenta. Decurfis Academiae spatii, statim in forum deductus, vt ipso vsu ea, quae a Professoribus acceperat, confirmaret. Et optimum ceperat consilium KIPPINGIUS. Nam quamuis Iuris Romani, cuius maxima pars in foris nostris valet, scientiam ex disciplina academica quis sibi comparauerit, quum tamen fuerit in forum delatus, nihil nisi fundamenta quaedam se iecisse sentiet, quibus, post industriam singularem et diligentem patrii iuris meditationem, perfectam Iurisprudentiae superstruere debeat intelligentiam. Postea Anno MDCCXXIV. Serenissimus Marchio Brandenburgensis GEORGIVS WILHELMVS, quum dexteritatem et diligentiam singularem *nostrae* animaduertisset, eum aulae Secretarium clementissime renunciauit. Quo in munere sibi credito semper fidem, innocentiam, et industriam suam probauit. Sed lubrica est aulae fortuna. Mortuo Anno MDCCXXXV. Serenissimo Marchione GE. FRIDER. CAROLO dimissus fuit, et sic *otium*, vt ipse b. Vir scripsit, et *vacationem ab aulae et curae negotiis multos ante annos incredibili optatam desiderio obtinuit*. Quo facto *Ienam* Anno MDCCXXXVI. concessit, ibique collegia in Institutiones, Pandectas et Processum supremorum Tribunalium Imperii nostri instituit, quae collegia magno studiosorum applausu fuerunt excepta. Semper admirati sunt omnes et singuli insignem eius in scientiis soliditatem atque hodierno vsui accommodatam doctrinam. In id enim potissimum in scholis suis curam intendebat, vt auditoribus suis ea instillaret, quae ipsis olim in vita communi et in negotiis gerendis proficua esse possent et salutaria. Crescente pedetentim fama, de eo ad Academiam Helmsta-

dientsem

a 3